

Rex pluribus. Prætozem & duos Ballivos longo tempore habuit, Maria vero Regina Prætozem, duos *Aldermannos*, & Senatuz ex viginti quatuor constituit. Incolæ sunt maximam partem mercatores, qui in Gallia & Hispania magnam mercaturam exercent. Nec tacendum est quod ex hujus schola duo doctissimi viri & nominatissimi Theologi, Ioannes Iewellus Episcopus Sarisburiensis, & Thomas Hardingus professor Lovaniensis, qui acerrime pro veritate religionis utrinque scriptis acutissimis sunt digladiati.

Ioan. Iewell. Th. Harding.

Ralegh.

Hinc Tawus *Ralegh*, quæ olim nobiles sui nominis habuit Dominos, nunc claræ familiæ de *Chichester* cognominatæ possessionem salutans, & postea *Towridgi* aquis auctior Sabrinianum mare petit; sed *Kinuiith* castrum cujus meminit *Asferius* non invenit. Ad hoc enim littus, ejus nominis castrum erat situ terrarum ab omni parte præterquam ob ortu tutissimum, ad quod, Anno Christi *DCCCCLXXIX* Hubba Danus, qui multis cladibus Anglos fatigarat, confossus occubuit. Locus deinceps *Hubbestow* ab historicis nostris vocatur. Vexilloque Danorum, *Reafan* dicto, tunc potiti sunt Angli. Quod lubentius adnoto, quia ex fabella apud *Asferium* Menevensem, qui hæc prodidit, colligi potest, Danos corvo pro insignibus usos fuisse, quem invicto (ut putabant) omine, *Lothbroci* Danici filias in vexillo acupinxisse tradiderunt.

Kinuiith.

Danorum vexillum.

Comb quid significat. Nicotius.

Nihil deinceps in Septentrionali hoc littore visitur præter *Ilfarcomb*, quæ statio est navium satis fida, & huic contermina *Combmarion* sub qua veteres plumbi fodinæ non sine argenti venis nuper sunt apertæ, *Comb* vero, ut semel adnotem, quæ usitata est adjectio locorum nominibus in hoc tractu, situm depressiorem aut convallem denotat, deductumque videatur à *Kum* Britanorum, quod idem significat, & Galli adhuc eadem significatione sua lingua retinent.

Bampton.

Hinc magis ad Euro-aultrum proxime *Somersetenses* ostendit se *Bampton*, olim *Baentum* quæ sub *Guilielmo* Conquæstore obtigit *Waltero* de *Doway* sive *Duacensi*, cum amplissimis alibi latifundiis: è cujus posteris *Iuliana* hæres nupta *Guilielmo* *Paganello* vulgo *Paynell* peperit *Fulconem* de *Bampton*, ille suscepit *Guilielmum*, & *Christianam* uxorem *Cogani* ex *Hibernia*, cujus posteris successerunt, cum soboles *Guilielmi* sine liberis diem obiisset. A *Cogani* vero ad *Bourchieros* nunc *Bathoniæ* Comites, per *Hancfordum* & *Fitz-Vvarinos* tandem possessio hæreditario descendit.

Paganelli sive Paynell.

Devoniæ Comites.

In prima *Normannici* imperii infantia (ut taceam *Hugonem* *Normannum*, quem *Emma* Regina huic regioni antea præfecerat) Rex *Guilielmus* Primus *Baldwinum* quendam hæreditarium *Devoniæ* Vicecomitem, Baronemque de *Okehampton* instituit, cui Vicecomitis honore *Richardus* filius successit, qui sine prole mascula obiit. Rex *Henricus* Primus deinde *Richardo* de *Redueris* primo *Tiverton*, ac postea honorem de *Plimpton* cum aliis locis ad eundem pertinentibus contulit, in Comitatumque *Devonium*, tertium denarium annui exitus ejusdem Comitatus illi concedendo, eum consequenter creavit. Exitus autem Comitatus qui tunc ad Regem pertinebat ad 30 *Marcas* tantum se extendebat, de quibus dictus Comes 10 *Marcas* annuatim in partem suam assumebat. Post hæc insulam *Veethæ* à dicto rege obtinuit, unde Comes *Devoniæ* & Dominus *Infulæ* nuncupatus erat. Ille autem

Registrum Monasterii Fordensis.

procreavit *Baldwinum*, qui cum à *Matilde* *Augusta* contra *Sthephanum* staret, in exilium projectus. *Richardus* tamen filius paternum hunc honorem recuperavit, qui duos filios reliquit *Baldwinum* & *Richardum*, suo ordine *Devoniæ* Comites, & sine prole defunctos. Recidit ergo honor ad eorum patrum *Guilielmum* de *Vernon* dictum. Ille vero *Baldwinum* genuit, qui ante patrem obiit, cum tamen ex *Margareta* *Gwarini* *Fitz-geroldi* filia *Baldwinum* ejus nominis tertium, *Devoniæ* Comitem prius suscepisset. Hic duos habuit liberos *Baldwinum* ultimum ex hac familia Comitem sine sobole defunctum, (qui *Gryphem* prementem bestiolam quo in sigillo majores usi sunt, in aureum scutum cum leone cyaneo erecto mutavit,) & *Isabellam*, quæ enupta *Guilielmo* de *Fortibus* Comiti *Albemarle* filium *Thomam*, qui statim mortuus, & *Avellinam* peperit, quæ *Edmundo* *Lancastrensi* Comiti in uxorem data maritum magnis opibus ditavit. Sed cum illa statim sine liberis obiisset, *Hugonem* *Courtenæum* regio (ut scribunt) *Francorum* sanguine natum, cognationeque superioribus Comitibus connexum Rex *Edwardus* III missis literis, nulla adhibita cæremonia *Devoniæ* Comitem creavit; jussit enim ut hoc titulo uteretur. Illi successit *Hugo* filius, post quem *Edwardus* ejus è filio *Edwardo* nepos sequutus est, *Hugonique* filio moriens reliquit, ille itidem *Thomas* filio qui obiit anno xxxvi Regis *Henrici* Sexti. *Thomas* ille tres filios suscepit, *Thomam*, *Henricum*, & *Ioannem*, quorum fortuna, flagrantibus inter *Lancastrenses* & *Eboracenses* funestis dissidiis, multum jactata fuit, dum à *Lancastrensibus* obfirmato animo starent. *Thomas* capite plexus est *Eboraci*, *Henricus* frater qui successit, septimo post anno eandem pœnam *Sarisburia* subivit. Et quamvis Rex *Edwardus* Quartus *Humfredum* *Stafford* Dominum *Stafford* de *Subwick* in *Devoniæ* Comitem evexerit, qui eodem anno diem obiit, *Ioannes* tamen *Courtenæus* fratrum minimus natu hunc titulum, donec in prælio ad *Tewkesbury* ceciderit, mordicus tenuit. Iam inde satis longo tempore hæc familia quodammodo extincta jacuit; sub *Henrico* tamen *Septimo* resloruit, qui *Edwardum* *Courtenæum* proximum hæredem masculum ad avitos honores denuo evocavit. Hic genuit *Guilielmum* *Devoniæ* Comitem, qui *Catharinam* Regis *Edwardi* Quarti filiam in uxorem duxit, è qua suscepit *Henricum* Comitem *Devoniæ*, eundemque *Marchionem* *Exoniæ* capite sub *Henrico* Octavo truncatum, cujus filius *Edwardus* in integrum à *Maria* Regina restitutus, nobilissimus, & optimæ spei adolescens immatura morte *Patavii* in *Italia* obiit. Optimi enim quique (ut *Quadrigarii* verbo utar) minime diurnant. Anno vero ab ejus morte quadragesimo sexto *Iacobus* Rex *Carolus* *Blunt* Baronem *Montioye* *Hiberniæ* Proregem, ut antiqua nobilitate, ita Imperatoriis artibus, & literarum ornamentis clarissimum, ob *Hiberniam* recuperatam & in pristinum statum redditam, pulsus *Hispanis* & rebellibus profligatis, aut in pacem receptis, *Devoniæ* Comitem creavit, honoribus cumulavit; & pro regia munificentia affluenter locupletavit, verum honorum & opum usuram mors statim invidit.

Claus. 9. Edw. III. m. 35. in dorso.

9. Edw. 4.

163.

Continentur in hoc agro Parochiales ecclesie 394.

D V R O.